Lane Medical Library

EXANTHEMATA PHYTO-PARASITICA EODEMNE FUNGO EFFICIANTUR, QUAERITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

PATHOLOGICO-BOTANICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS STRUBE

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

OPPONENTIBUS:

C. SCHIFFER, MED. ET CHIR. DR.

S. MIESES, MED. ET CHIR. CAND.

A. LISSA, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/exanthemataphyto0000guil

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, AMICISSIMO

HENRICO KOEBNER,

MEDICO VRATISLAVIENSI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Per quadriennium, quo in medicinae studiis versabar, omnia quidem hujus studii genera deligere et permagni aestimare didici, sed semper unum mihi ex iis carissimum erat, quod ex brevi tempore novam ingressum est aeram, scilicet dermatologia. Cujus amor ex eo ortus esse mihi videtur, quod, quum Vratislaviae studiis otium suppeditavi, illustrissimus et amicissimus Koebner dermatologia et syphilidologia me initiatus et in policlinico ab eo instituto maxima copia observandi et quaerendi mihi oblata est. Inter multas res, quas eruendas ille et ego nobis proponebant, primum locum obtinuit illa a prof. Hebra producta quaestio, exanthemata parasitica eodemne fungo efficiantur. Qua de re quidnam invenerimus, hoc loco exponam.

Si igitur hac dissertatione opus peregi non omnino rejiciendum, illi potissimum viro debeo; propterea ei gratias quam maximas ago atque semper grata memoria hoc beneficium prosecuturus sum.

Quo magis anatomia pathologica et microscopia excultae sunt et in quaerendis rebus medicis quasi summum imperium obtinuerunt, eo theorias atque doctrinas, quae e nulla re nisi ex ingeniosis combinationibus ac conjecturis ortae sint, magis submoveri earumque in locum naturam omnium rerum ipsam succedere videmus. Quod in parva parte totius medicinae artis perspicuissime intelligi potest, in morbis cutaneis; quorum studium imprimis propter multas observationes et magnas res anatomico-pathologice inventas summa jucunditate atque oblectatione exerceri ad summamque peritiam atque intelligentiam esse perventurum videtur. Doctrinam plurimarum dyscrasiarum moneo, quae singulis morbis cutaneis subponebantur, ut quibus rebus illi nascerentur, plane explicaretur. Quo ex tempore autem microscopia de his rebus judicari coepit, permulti errores corrigi potuerunt. Ubi enim superioribus temporibus in morbo scrophuloso, in acrimonia sanguinis, in morbo hepatis quodam, in

dyscrasia herpetica causa exanthematum diversorum posita erat, ubi affectiones locales, tum sarcoptes exulcerans, tum fungi in cute humana parasitantes, tum mechanicae seu chemicae causae inventae sunt.

Quod quum ad excolendam artem medicam totam permultum valuerit, facere non possum, quin amplius de his rebus disseram. Ac primo quidem Schoenlein investigationibus a Bassi et Audouini de muscardina institutis excitatus et observationibus de contagione quarundam impetiginum factis adductus, crustas porriginis lupinosae, quae a Mahon[1]) juniore pro hypertrophicis crinium folliculis habitae erant, ex fungis compositas esse docuit.

Qua re omnes docti medici moti investigaverunt, an alii quoque morbi cutanei fungis efficerentur. A Gruby in mentagra (his diebus non concessum) microsperon mentagrophytes et paulo posterius in area Celsi (alopecia decalvante) microsperon Audouini inventum est. Eichstaedt causam maculationis cutis flavae, quae morbo hepatis effici putabatur, esse in fungis, microspero furfure, demonstravit. A Malmsten in morbo, qui a Cazenave herpes tonsurans vocatus est, trichophyton tonsurans in lucem prolatum est. Quo fungo reperto Willani doctrina morborum cutaneorum labefieri incepit. Eo enim duce herpes circin-

[1]) Mahon jeune sur les recherches et sur les teignes. Paris 1829.

natus, pityriasis rubra, lichen circumscriptus, impetigo figurata et porrigo scutulata discernendi et diversi morbi separandi sunt. Nam Bazin et Baerensprung illos morbos, quamquam inter se differre videntur, tamen gravibus omnibus rebus esse similes explicaverunt, et rotunda forma affectionum et in orbem procedendo et congruentia fungorum. Itaque jure optimo non diversi morbi sed diversa signa ejusdem morbi habenda sunt.

Atque eadem dissensio est de herpete tonsurante et circinnato, quum quidem dermatologi eos esse naturae diversae existiment. Quod refutatur et clinica observatione et experimentis et microscopia. Sunt enim exempla, quibus herpetes circinnatos contagione herpetibus tonsurantibus facta nasci et alterum in alterum verti posse, demonstratum est. Malmsten in mamma matris, quae libero herpete tonsurante affecto eam praebuit, herpetem circinnatum ortum esse, narrat. Bazin herpeticum orbem et per occiput et cervicem serpentem omnibus signis herpetis tons. in capite, circin. autem in cervicibus praeditum esse vidit. Experimentis autem, si squamae vel crines herpetis tons. in trunco aut membris positi sunt, ibi herpetem circin. nasci et vice versa nasci satis inter omnes constat.

Microscopia denique quum fungos herpetis tons. et circin. esse eosdem, et observatione, eodem trichophyto in trunco herpetem circin., in capite tonsur. effici de-

monstratum est, nescio, cur in iis, ut Plumbe[1]) opinatur, mala ejusdem generis quaeri non possint.

Idem dici potest de a Koebner[2]) in quibusdam mentagrae formis reperto trichophyto, ita ut tertium genus affectionis eo effectae nunc cognoverimus. Summa jucunditate igitur in hujus litteris legitur, familiam ab eo inventam esse, cujus pater sycosi, mulier herpete circin. liberi herpete tons. affecti erant.

Quod quum ita sit, haec tria herpetis genera esse ejusdem naturae, eodem trichophyto effecta, non dubium est.

Nec vero solum iisdem fungis locis corporis aliis alios morbos effici inter omnes constat, sed etiam diversis crescendi gradibus morbos diversos nasci his diebus opinio defensa est.

Quolibet enim thallophytorum genere in cute humana insito herpetem tonsurantem effici et quodam crescendi gradu impetrato ex eodem fungo tineam favosam oriri, prof. Hebra opinatur. In libello enim, quod de herpete tonsurante est, hoc scribit:

Aus den hier mitgetheilten Beobachtungen geht nun hervor, dafs Pilze auf eine macerirte Epidermis gebracht (was am häufigsten durch Umschläge geschieht) daselbst entweder

---

[1]) A practical essay on Ringworm of the scalp etc. by J. Plumbe. 1821.

[2]) Ueber Sycosis und ihre Beziehung zur Mycosis tonsurans.

1. einen Bläschen-Ausschlag in Form des herpes tons. hervorbringen; oder
2. gleich Favus erzeugen; oder endlich
3. zuerst die maculöse Form des herp. tons. entwickeln, auf welchen sich später favi heranbilden.

Unwillkürlich drängt sich uns die Frage auf, ob nicht diese beiden Uebel, Herp. tons. und favus identisch seien. Und ob ihre morphologische Differenz nicht etwa dem jeweiligen Entwickelungsgrade der Krankheit zugeschrieben werden könne.

Posteriore tempore observationibus quibusdam factis ad certam sententiam adductus esse videtur, ex eodem fungo, quo herpes tons. efficitur, in posteriore evolutionis stadio favum oriri, quod idem esse videtur, atque ex trichophyto tons. achorion Schoenl. nasci posse. Qua in re quantum sit veri, exponere quum mihi proposuerim, ut demonstrem, quibus exemplis motus hoc doceat, ejus verbis uti mihi liceat.

In der Zeitschrift der K. K. Gesellschaft der Aerzte zu Wien[1]) theilt Prof. Hebra 2 Fälle mit, die seine am 17. Februar d. Jahres ausgesprochene Ansicht, dafs Herpes tons. und Favus ihrem Wesen nach ganz identisch sind, aufs evidenteste bestätigen.

Ein Fall betrifft einen jungen Menschen, der wegen Verhaftung durch längere Zeit seine Wäsche nicht gewechselt und hierauf einen Ausschlag am Rücken

[1]) Zehnter Jahrgang. 2. Band.

bekam. 16 Tage nach Ausbruch des Leidens am 25. April d. Jahres kam er ins Spital und bot theils sogleich bei der Aufnahme, theils im weitern Verlaufe die ganze Entwickelungsgeschichte des herp. tons. dar. Als jüngste Erkrankung zeigten sich nämlich kleine, einzeln stehende Bläschen, welche laut microscropischer Untersuchung des Prof. Dr. Wedl eine zähflüssige, eitrige Masse enthielten. Dort wo diese Bläschen schon im Abtrocknen begriffen waren, entwickelten sich rings um dieselben kreisförmig gruppirte Bläschen von gleicher Beschaffenheit mit den frühern. Im weitern Fortschreiten des Leidens besafsen die leicht gerötheten und etwas geschwollenen Hautstellen an ihrer Oberfläche mehr oder minder aufgestülpte Schüppchen von Epidermiszellen, in welchen entweder gar keine oder nur eine geringe Menge solitärer Sporen zu entdecken war.

In einem noch späteren Stadium traten die als pathognomonisch für den favus angesehenen gelben krebsaugenförmigen Körper auf, welche theils in der Mitte, theils in der Peripherie der den herpes tons. charakterisirenden rothen Flecke und Ringe safsen. Endlich, die älteste erkrankte Hautstelle am rechten Schulterblatte war mit härtlichen und zerreiblichen Massen bedeckt, welche sowohl nach ihrem Aussehen als auch bei der microscopischen Untersuchung sich als isomorph mit den gewöhnlichen Favusborken dar-

stellten, indem die in reichlicher Menge darin vorgefundenen Pilze genau dieselbe Formation und Gröfse der Sporen und Thallusfäden erkennen liefsen, wie die bekannten Favuspilze. In dem Fall wurde es somit ersichtlich, dafs der Favus nur eine weitere Entwickelung des Herp. tons. ausmacht . . . .

Der 2. Fall, welcher ebenfalls vorgeführt wurde, kam am 11. Mai d. J. zur Beobachtung; hier war an mehreren Stellen im Gesichte Herp. tons. und am Kopfe gleichzeitig Favus zugegen. An der Wange bestanden die Schüppchen nebst Epidermiszellen aus gelbtingirtem organischen Detritus ohne Pilze. An der Nasenspitze waren die Schüppchen dicker und liefsen theils solitäre, theils kettenförmige aneinander gereihte Sporen in mäfsiger Anzahl erkennen; die Favusborken waren von gewöhnlicher Beschaffenheit.

Schliefslich bemerkt Prof. Hebra, dafs ein von ihm gemachter Versuch, den Favus zu verimpfen, nur eine enorme Röthung und Bläschenbildung an der betreffenden Hautstelle, aber keine Fortpflanzung der Favuspilze zur Folge hatte.

Quum autem, quam diu sit exanthematum parasiticorum stadium incubationis et quae sit forma elementaris eruptionis, clinica sola observatione nunquam aut rarissime certe cognosci posse, notum sit, inoculationis experimenta ill. Koebner suasore facere constituimus eo modo, ut aut scalpello fungos insere-

remus aut non vulneratae humidae et tritae epidermidi imponeremus, impositosque madefacto linteo per nonnullos dies delabi prohiberemus; quarum alteram methodum subepidermoidalem, alteram epidermoidalem vocare liceat.

EXPERIMENTUM PRIMUM.

V d. Maj. LXII. Koebner in dorsum antibrachii sin. sui modo subepidermoidali achorion Schoenleinii insevit.

X d. Maj. Paucae papulae pridie non observatae cernuntur.

XI d. Maj. Complures papulae, praeterea vesiculae duae circum crines ortae sunt.

XII d. Maj. Duo vesicularum orbes in cute rubicunda siti, diametro II‴ animadvertuntur; pruritus est magnus.

XIII d. M. Orbes creverunt, pleraeque vesiculae siccatae sunt.

XVI d. M. Orbes vesiculis novis in margine ortis aucti sunt, ut se contingant; in unius cujusque centro crusta crine perforata et circum eam tenuissimae squamae sitae sunt.

XIX d. M. Orbes inter se confluunt; crustarum loco puncta flava cernuntur.

XXI d. M. In altero scutulo excavatio media orta est, alterum non profundum videtur. Orbes ex quinque

diebus confluentes figuram serpiginosam formant, sunt valde rubicundi et in centro desquamantur, in peripheria perpaucae vesiculae animadvertuntur.

Ex hoc tempore orbes palluerunt et, quum scutula inter se confluant, porrigo scutiformis orta est.

EXPERIMENTUM SECUNDUM.

V d. Maj. LXII. Tineae materiam plane aqua mollitam prope areolam mammae dextrae meae modo subepidermoidali insevi; tegmentum non impositum est.

XI d. M. Quo loco per tres dies circum ictum turgor et rubor fuerant, et postea crusta modo videbatur, ibi macula rubra, papulis et vesiculis instructa, diametro IV‴ invenitur.

XVIII d. M. Orbis est valde rubicundus et auctus diametro VIII‴; papulae dispersae in centro, in peripheria longe rubicundissima cernuntur vesiculae, quae ad areolam pertinent; nusquam squamae aut crustae, nullum scutulum invenitur.

XXII d. M. Orbis figura ovata, vehementer prurit, non auctus, pallescit, vesiculae veteres dirutae sunt, novae non existunt, squamae et crustae desiderandur.

XXVIII d. M. Areolae pars occupata tenuissime desquamatur, alia pars pallet, sine squamis et vesiculis.

I d. Jun. Macula non est aucta, squamis nuda, non pruriens et pallescenti erythemati non dissimilis.

V d. Jun. Locus eodem circuitu est et flavus, quo colore hodie videri potest. Nulla depressio aut cutis defectus invenitur.

EXPERIMENTUM TERTIUM.

XXIX d. Maj. LXII. Koebner achorion modo epidermoidali in antibrachium dextrum suum insevit.

I d. Jun. Quo loco fungi depositi erant, quattuor pustulae parvae cernuntur, unaquaeque circum crinem; pruritus non magnus est.

III d. Jun. Duae pustulae ejusmodi ad quattuor accesserunt.

IV d. Jun. Circum unamquamque pustulam vesiculae ortae sunt. Seorsim ab iis duae sejunctae pustulae et in propinquo una nova cernitur.

V d. Jun. Separatae duae pustulae vesiculis circumdatae sunt, ut quattuor vesicularum orbes animadvertantur. Inter singulos orbes circumscriptus cutis rubor existit. In vesiculis ipsis corpuscula puris et epidermidis cellulae, fungi non certe inveniuntur; pruritus est magnus.

VI d. Jun. Pleraeque vesiculae adhuc impletae in pustulas vertuntur.

Vesiculae IV d. Jun. ortae vesiculis circumdatae sunt. In vesiculis fungi non reperiuntur.

VII d. Jun. Pustulae, imprimis in centro orbium, siccatae sunt, earum loco parvae crustae crinibus per-

foratae et circumcirca tenuissimae squamae cernuntur, quae vesiculis novis ortis circumdantur.

VIII d. Jun. Fere omnes pustulae et vesiculae terendo per noctem deletae sunt; circum crustas centrales permultae tenuissimae squamae inveniuntur.

IX d. Jun. Circum singulas crustas vesiculae ortae sunt.

X d. Jun. Idem cernitur; in crusta una albis epidermidis cellulis obducta paucum mycelium et parva, bina aut terna concatenata conidia inter cellulas epidermidis et corpuscula puris inveniuntur.

XI d. Jun. *a*) Crustarum duarum loco puncta flava, unumquodque crine perforatum, animadvertuntur. Orbes pallescunt, vesiculae paucae, squamae permultae cernuntur. — *b*) Orbes seorsim ab iis orti renati sunt.

XIII d. Jun. *a*) Duo scutula in medio excavata sunt; praeterea quo loco crustae sitae erant, puncta flava duo animadvertuntur. Orbes desquamantur, vesiculae desiderantur. — *b*) Orbes pallent et desquamantur; scutulum in iis non observatum est.

EXPERIMENTUM QUARTUM.

XIX d. Mart. LXIII in antibrachium meum sinistrum achorion modo epidermoidali insitum est.

XXI d. Mart. Tres vesiculae, unaquaeque circum crinem, ortae sunt.

XXII d. Mart. Vesiculae hesternae non inveniuntur, alio loco autem ejusmodi tres novae.

XXIII—XXV d. Mart. Idem cernitur.

XXVI d. Mart. Vesiculae hesternae in crustas versae sunt. In iis conidia diversa magnitudine, pleraque sejuncta inveniuntur.

XXVII d. Mart. Circum unamquamque crustam orbis vesicularum animadvertitur.

XXVIII d. Mart. Complures vesiculae ruptae in squamas vertuntur; orbes vesiculis novis in margine ortis aucti sunt.

Prope ad manum duae vesiculae circum crines sitae cernuntur.

XXIX d. Mart. *a*) Tres orbes eadem forma atque heri sunt. In unius centro punctum flavum crine perforatum, crustae loco, animadvertitur. — *b*) Unaquaeque ad manum sita vesicula vesiculis novis circumdatur.

XXX d. Mart. *a*) Tres orbes, vesiculis in margine ortis, quum inter se confluxerint, serpiginosam figuram formant, qua in media inter tenuissimas squamas scutulum et crustae duae sitae sunt. Scutulum paulo auctum in centro excavatum est. — *b*) Duo vesicularum orbes non mutantur.

XXXI d. Mart. *a*) Scutulum multo crevit, diametro 6,3‴. Excavatio media, ex qua crinis enascitur, materia subflava et in altum prominente circumdatur,

in peripheria autem materia colore sulphureo succrescens et epidermide tecta animadvertitur. Orbes inter se confluentes pallescunt, perpaucae vesiculae, multae squamae inveniuntur. — *b*) Orbes, in quorum centro crustae cernuntur, vesiculis in margine ortis, aucti sunt.

I d. April. *a*) Orbes diametro 2—2,5‴ pallescunt, vesiculae desiderantur, multae magnaeque squamae apparent; scutulum delapsum est; loco crustae in centro secundi orbis sitae scutulum minimum invenitur. — *b*) Orbes diametro 1,5—2‴ pallescunt, et desquamantur. Formatio scutuli hoc loco non observata est.

Longum est, omnia de achorio Schoenleinii a nobis facta experimenta enarrare; memoro autem, periculis in Hausmann, medicinae candidato Vratislaviensi institutis idem, quod in nobis, pluries approbatum esse.

Ex his numero quidem perpaucis, effectu vero constantibus experimentis haec concludenda esse putamus.

I. Achorio Schoenleinii incubationis stadium est trium vel quinque dierum, si modo et epidermoidali et subepidermoidali insitum erat; quarum methodorum prima quamquam jam secundo die nonnullae papulae aut vesiculae circum crines locis dispersis oriuntur, tamen fungis non effici videntur, sed vi terendi, quum sine iis cute similiter tractata nascantur.

II. Achorii prima forma efflorescentiae in cute hominum est herpes.

III. Hoc herpeticum stadium est quinque vel septem dierum aut pallescere solet, si primum scutulum formatum est.

IV. Hoc stadium herpeticum *non semper* in scutulorum formationem transgreditur, sed *solum* Achorii insiti signum *manere potest.* Quodsi accidit, herpes est multo diuturnior, quam si scutuli formatio illud stadium sequitur.

V. Scutulum initio epidermide tectum in centro orbium herpeticorum circum crinem oritur; epidermide perrupta eo modo crescit, ut in medio sensim sensimque excavetur et colore subflavo afficiatur, in peripheria autem materia colore sulphureo succrescente, in orbem procedat.

VI. Crines scutulis circumdati, colore et splendore amisso, fragiles redduntur, ut eorum trunci ex scutulis promineant.

EXPERIMENTA IN BESTIIS INSTITUTA.

Quum Bazin, Gerlach, Baerensprung exanthemata parasitica in bestiis observavissent, experimenta achorii et trichophyti in earum cutem inoculandi instituimus, ut erueremus, num hi fungi in cute bestiarum completius se evolverent atque crescerent quam hominum.

Ut igitur in hominum cute, ita in cuniculis, Tri-

chophyto tons. insito, exanthema herpeticum efficitur, sed ea differentia, ut ejus eruptio non perspicue vesiculosa, sed rubore incipiens mox in squamas vertatur. Crines, in quibus Trichophyton invenitur, splendore et colore amisso franguntur et defluunt, ut magna cutis spatia, initio circularia posterius serpiginosa, calva et grisea reddantur.

Quamquam herpes tonsurans in uno cuniculo *per tres menses* floruit, *tamen ex eo nullum aliud exanthema oriri* vidimus.

Achorii inoculatione facta, idem atque apud homines repertum est. Antequam enim scutula formantur, exanthema squamosum, herpeti cuniculi tons. simile observatur. Scutula ipsa simillima sunt hominum, paulo minora, in centro excavata et crinibus perforata; crines vero, postquam defluxerunt, renascuntur. Nulla denique differentia invenitur, si Achorion ab humana cute in cuniculum aut ab altero cuniculo in alterum translatum erat.

Antequam dissero, quibus rebus herpes Achorio effectus a per Trichophyton facto differat, exemplum afferre liceat, quo quanta fides observationi exclusivae clinicae haberi possit, demonstretur, si decernendum est, quaedamne affectio ex vetere malo an ex nova contagione orta sit.

XXX d. Mart. LXIII. Trichophyton tonsurans in dorsum antibrachii mei dextri modo epidermoidali insevi; quo tempore in altero antibrachio annuli herpetici per Achorion effecti floruerunt.

XXXI d. Mart. Rubor epidermidis imprimis circum crines singulos cernitur.

I d. April. Rubor desideratur. Ut hic locus antibrachii ab insultibus defenderetur, vinculum impositum est.

IV d. Apr. Nonnullis locis, praecipue circum crines, ortae sunt minores et majores vesiculae, aliae dispersae, aliae ad semicirculos inter se consociatae.

V d. Apr. Vesiculae auctae sunt, multae sejunctae, unus semicirculus, vesiculis novis ortis, in orbem vertitur.

VII d. Apr. Complures vesicularum orbes cernuntur, multae vesiculae ruptae sunt. In quibus corpuscula puris et conidia separata et inter se sejuncta inveniuntur.

VIII d. Apr. *a*) Plerisque vesiculis terendo per noctem extinctis, crustae ortae sunt.

b) Extra vinculum autem loco, qui prope ad manum situs est, tres vesicularum orbes cernuntur, uniuscujusque in centro crinis enascitur.

IX d. Apr. *a*) Sub vinculo multae squamae et novae vesiculae cernuntur, quae ad magnos arcus et lineas serpiginosas inter se conjunctae sunt.

b) Extra vinculum siti vesicularum orbes paulo aucti videntur.

XII d. Apr. *a*) Orbes pallescunt, rubor amittitur, permultae tenues squamae cernuntur.

b) Tres sejuncti orbes sunt valde rubicundi et vesiculis in margine uniuscujusque ortis aucti.

XIV d. Apr. *a*) Locus magis magisque pallescit et desquamatur; una linea serpiginosa vesicularum cernitur.

b) Tres orbes inferiores pallescunt et in medio desquamantur, in peripheria paucae vesiculae ortae sunt. In centro unius orbis punctum flavum observatur.

XV d. Apr. *a*) Magnae albae squamae inveniuntur, vesiculae desiderantur.

b) Punctum flavum amittitur, cujus loco crusta est. Orbes, magnitudine inter se similes, diametro 2‴, pallescunt, in margine nonnullae vesiculae ortae sunt.

XVIII d. Apr. *a*) Psoriasi similes squamae animadvertuntur.

b) Orbes sejuncti sunt pallidi, in alterius centro scutulum crine perforatum cernitur, excavatio media desideratur.

XXII d. Apr. *a*) Squamae deminuuntur, in iis conidia dispersa inveniuntur.

b) In centro tertii orbis scutulum ortum est; vesiculae amittuntur.

In altero scutulo medio excavatio materia subflava circumdata formata est.

His scutulis amotis et sapone viridi assidue adhibito, affectiones antibrachii mei sanatae videbantur; interjectis autem tribus mensibus, scutulum denuo loco inferiore, ubi prius jam favus floruerat, renatum est.

Quo loco a Trichophyto herpes circinnatus effectus erat, maculatio cutis subflava cernitur, ubi autem orbes tineae orti erant, tres rotundae coloris fusci maculae et scutulis congruentes depressiones animadvertuntur; crines e scutulis singulis enati desiderantur.

Hoc igitur exemplum est, quod Prof. Hebra litteris mandavit et quo motus ad sententiam suam adductus est. Quum enim ad herpetem tons. novam eruptionem herpeticam accedere vidisset, quae in tineam favosam vertebatur, et inoculatione facta animadvertisset, Achorio vesiculas effici posse, conclusit, quod ex utroque fungo affectio vesiculosa oriretur, Achorion et Trichophyton esse eosdem fungos, et quod ex Achorio praeterea favus nasceretur, Achorion esse stadium evolutionis posterius Trichophyti.

Si clinica quaedam observatio ejusmodi ac meum experimentum (scil. in stadio evolutionis favi posteriore) nobis se praebuisset, nescio an sic conclusissemus, ut Prof. Hebra. Sed quoniam loco ab infectione tuto Trichophyto insito nihil nisi herpes

circinnatus, extra vinculum autem tinea favosa nascebatur, certum esse arbitramur, hanc non e Trichophyto ortam esse, sed ex nova contagione, praesertim quod eodem tempore in altero antibrachio favus floruit. Itaque si herpetem Achorio effectum ab herpete Trichophyti certis signis differre, e Trichophyto autem nunquam tineam favosam oriri, structuram denique utriusque fungi esse diversam, demonstrare possumus, eos separandos duoque genera habendos esse existimamus.

Quibus signis herpes Achorio effectus a per Trichophyton facto differat, exponitur.

1. *a*) Herpes Trichophyto effectus, uno loco initio capto, in orbem procedens crescit; quam ob rem videtur forma orbiculata aut saepius ea, quae a dermatologis serpiginosa appellatur. Brevi tempore magna extensione orta, saepissime accidit, ut complures orbes inter se confluant aut altera pars orbis pallescat, altera efflorescat. Qua re efficitur, ut magni arcus aut longae serpiginosae lineae cernantur neque quo loco herpes ortus sit, certo dici possit. *b*) Herpes per Achorium factus quamquam centrifugaliter ut Trichophytum progreditur, quum orbes rarius inter se confluant, tamen raro serpiginosam, saepissime rotundam formam habent. Itaque ejus centrum, quod circum crinem semper situm est, ex eoque scutulum posterius oritur, nun-

quam tabescit. Vesiculae Achorii densissime aggregatae sunt, aliae circa crines, aliae inter eos sitae, Trichophyti longius inter se distant et multo majores sunt.

II. *a*) Trichophyti herpes nullis rebus crescere prohibitus, magnas partes corporis occupat, ut per totos artus, per abdomen et thoracem, per caput et cervices serpere possit. *b*) Qua magnitudine est nunquam herpes Achorio effectus, nam totam efflorescentiam adeptus diametro $5'''-6'''$ metitur.

III. *a*) Magnitudini autem similis est herpetis vita. Trichophyti enim herpes, si medicamentis non adhibitis aut causis aliis non extinguitur, longam vitam aut perpetuam habet. Achorii autem herpes existit quinque vel septem dies et cum nascentibus scutulis, ut supra demonstravimus, uti connexu videtur, quum hoc tempore tabescere soleat. Qua re fit, ut Trichophyti orbes diversi formis et magnitudine sint, Achorii autem minimum circuitum et magnam similitudinem inter se habere soleant.

Quod quum ita sit, herpetes Trichophyti et Achorii imprimis et formis et magnitudine et vita inter se differre apparet.

Si vero in Achorio esse putatur posterior crescendi gradus Trichophyti, quidnam ex hujus inoculatione oritur? Num stadium et herpeticum et favosum efficitur? Quantum ex experimentis a Bazin et Deffis, Bac-

rensprung, Koebner factis notum est, illi ex Trichophyto insito nunquam aliud nasci viderunt, quam herpetem tons. s. circinnat, non tineam favosam.

Restat, ut, postquam explicavimus, qua sit structura Achorium et Trichophyton, formam et genus eorum esse diversa ostendamus. De Achorio Schoenl. igitur quaerenti imprimis eruere, quomodo crescat, mihi proposui. In inferiore parte et in margine crustae favosae raro inveniuntur dispersa rotunda conidia et rarissime piriformia, quae germinantia habenda sunt, praecipue autem mycelium ramosum. Cujus initium haberi potest id, quod est tenuissimum, materia granulosa et homogenea repletum, non articulatum et sine septulis transversis. Paulo post materia interna in corpuscula oblonga dividitur, quae in tenui mycelio formam longam, posteriore stadio crescendi obscuris lineis transversis inter se sejuncta formam quadratam habent. Ubi haec corpuscula quadrata cernuntur, lateralibus mycelii constrictionibus ortis, nascuntur conidia, quae articulatione progressa sejunguntur et quae in superiore parte crustae imprimisque in excavatione centrali reperiuntur. Alias formas Achorii invenire non potui; quum autem Remak [1]), Kuechenmeister et Baerensprung illam formam, in qua corpuscula quadrata inclusa sunt, esse receptaculum doceant, explicem, quid

[1]) Medicinische Zeitschrift, herausgegeben vom Vereine für Heilkunde in Preufsen. Berlin 1840. No. 16.

sit sporangium et quibus rebus illorum sententia refutetur. Receptaculum enim est organum, cujus in extremitate concatenata aut in superficie inspersa vel inclusa sporidia, fructus fungorum, nascuntur; quae in singulis cellulis constituta quum solvantur aut e receptaculis elabantur, semen dispergitur. Si igitur illa forma receptaculum, corpusculaque quadrata essent sporidia, unquam haec soluta aut ex receptaculo elabentia inveniri necesse esset. Structura quoque autores illi refelluntur; cujus naturae ea sit, optime tinct. Jodi adhibita intelligitur, cujus ope materia in mycelio insita colore flavo afficitur, non ejus membrana.

Quo facto, quum omnia filamenta ex ordine collocatis corpusculis repleta appareant, totum mycelium e receptaculis constare, secundum illos concludendum est; quod notioni et mycelii et sporangii repugnat. Quum autem mycelium corpusculis impletum in conidia transgredi et tenuiore loco corpuscula sita esse observetur, conidia ex iis formari perspicuum est, eoque modo, ut corpuscula cum membrana mycelii concrescere aut ipsa dissolvi videantur. Sporangia igitur, quae in aliis thallophytis, praecipue in Penicillio glauco animadvertuntur, Achorio Schoenleinii deesse videmus.

Venimus nunc ad Trichophyton tons. In quo praecipue duae varietates aut genera conidiorum concatenatorum inveniuntur; quorum altera materiam homo-

geneam et pellucidam complectuntur, alteris corpuscula inclusa sunt. Quae ubi articulatio perfecta est, rotunda et paulo minora quam conidia sunt, ubi laterales constrictiones cernuntur, formam quadratam habent, quae in oblongam vertitur, si in membra externa omnes constrictiones desiderantur. Haec rarissima forma, quae in tenues ramos dividi potest, habenda est mycelium Trichophyti; cujus origo ex conidiis piriformibus quaeri posse videtur. Filamenta autem, quae materia granulosa repleta et obscuris lineis transversis divisa sunt, quod nunquam nisi in praeparatis e pluribus diebus conservatis inventa sunt et animadversa in dies se auxiverunt, quod denique mycelio Penicillii glauci esse simillima videntur, Trichophyto haec filamenta adscribi non posse, cum amicissimo Koebner consentio. Quomodo autem duo genera conidiorum inter se conjuncta sint, eruere non potui; finitima autem ea inter se esse, ex eo patet, in primo conidiorum genere, tinctura Jodi adhibita, eodem corpuscula atque in secundo inclusa apparent. Tertia denique conidiorum varietas est, quae nucleos persaepe centrales continent, ut in figura 1. c. et 4. h. tabulae primae a Koebner illustrata sunt.

Restat ut, quibus rebus hi fungi inter se differant, explicemus [1]). Achorio enim praecipue ex mycelio in

[1]) Ueber Sycosis und ihre Beziehung zur Mycosis tonsurans.

densum stroma perplexo et versus centrum scutuli in conidia transgrediente formatum est, Trichophyton autem *fere unice* ex conidiis, ut filamenta non existere plerique autores putent.

2. Mycelium vero utriusque fungi ita differt, ut in Achorio initio materia homogenea repletum et multo tenuius diametro, 0,001 — 0,003 Mm., ac multo ramosius sit, quam in Trichophyto, cujus filamenta corpuscula oblonga complectuntur et in ramos raro dividuntur et crassiorem formam, diametro 0,003 — 0,006 Mm. habent.

3. Conidia autem Trichophyti sunt saepissime rotunda, diametro 0,002 — 0,005 Mm., lucemque multo magis reflectunt, quam Achorii, quae formam oblongam atque ovatam, rarius rotundam habent, diametro 0,003 — 0,007 Mm. sunt, membrana lucem minus refringente.

4. Physiognomia totius scutuli microscopica criterium est Achorii; quia locis optime distinctis mycelium in peripheria, in centro conidia crescunt. In Trichophyto autem situs mycelii plane separatus non invenitur.

Quod quum ita sit, quamquam inter hos fungos magna similitudo animadvertitur, tamen differentias satis perspicuas reperiri posse videmus.

Quoniam igitur microscopia et experimentis institutis et utriusque fungi structuram et mala his

fungis effecta esse diversa, explicavimus, in favo inesse posterius herpetis tonsurantis, illa sententia prof. Hebrae rejicienda est. Itaque, si ad affectionem herpeticam, qualis Trichophyto efficitur, tinea favosa accedit, in hac non posterius Trichophyti stadium evolutionis quaerendum est, sed complicatio alius fungi; eodem modo, quo ad pityriasin versicolorem trunci herpetem circinnatum, aut ad herpetem tons. scabiem et insuper erythema venenatum per erucas effectum in eadem persona accessisse, a Koebner observatum est.

Quaedam pericula de Penicillio glauco facta.

Eruere denique constituimus, num quolibet genere thallophytorum cutis affectiones oriri possint, quas exanthematis parasiticis notis praecipue herpeti esse similes prof. Hebra opinatur. Penicillio igitur ornata domicilia et utensilia proletariorum cum frequentia affectionum parasiticarum in pauperibus observatarum connexu esse arbitrati, hunc fungum modo et epidermoidali et subepidermoidali in diversa loca corporum nostrorum insevimus. Sed, quamquam diligentissimam observationem dies in dies, etiam per menses instituimus, tamen nihil unquam herpetis tons. aut tineae favosae ex inoculationibus oriri vidimus.

VITA.

Natus sum Guilelmus Strube die XV mens. Jan. anno h. s. XXXVIII Mariaeinsulae, patre Carolo, quem dira morte mihi ereptum lugeo, matre Friderica, e gente Klassen, quam deus per longum tempus mihi servet incolumem. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus per decem annos Gymnasium Mariaeinsulae adii, quod rectore Dr. Lehmann viro illustrissimo et ad hoc tempus floret. Testimonio maturitatis instructus, anno h. s. LIX litterarum universitatem Viadrinam petii et ab Ill. Friedlieb, illo tempore fasces academicos tenente, in numerum civium academicorum receptus, apud Ill. Betschler, gratiosi medicorum ordinis t. decanum, nomen professus sum. Post sex semestria almam litterarum universitatem Berolinensem petii et ab Ill. Beseler, rectore magnifico civium academicorum numero adscriptus, Ill. Mitscherlich gratiosi medicorum ordinis decano nomen rite dedi.

Per octo semestria scholas audivi celeb. perit. professorum. Vratislaviae: Barkow, Betschler, Braniſs, Foerster, Frankenheim, Goeppert, Groſser, Grube, Heidenhain, Lebert, Loewig, Middeldorpf, Roemer; privatim docentes DD. Burchard, Cohn, Freund, Lewald, Mayer, Rindfleisch.

Berolini: Baerenspruug, Frerichs, Langenbeck, Martin, Reichert, Traube, Virchow.

In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt: Dd. Dietrich, M. Freund, Lehnert, Reinhard, Rademacher, Sommerbrod, Lücke, Mitscherlich, Stark.

Quibus omnibus viris summe venerandis gratias ago quam maximas.

Jam tentaminibus et philosophico et medico, neque minus examine rigoroso superatis, fore spero, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Achorion Schoenleinii et Trichophyton tonsurans sunt fungi inter se diversi.
2. Lupus cutis est tuberculosis.
3. Hysteriasis morbus idiopathicus non est.